

sanctis eius celebrare interminum in coelis speramus nullique diffidimus. Sepultus est ipsa dominica palmarum die, tempore matutino, finitis processione et caeremoniis, hic in ecclesia claustrali ad ingressum navis illius latere sinistro.

R. p. Benedictus Eck*, Friburgensis Brisgoius, Francisci Eck et Eleonorae Spindlerin coniugum, opulentorum civium filius, natus anno domini 1696, die 27 Julii. Germanum unum, binas numeravit sorores, earum natu major in monasterio Berau nuncupato, ditionis per omnia Sanct-Blasianae, ordinis s. Benedicti monialem induit, altera Friburgi mercatori, honesto juveni, nupsit, frater pariter lectam virginem ac divitem sibi matrimonio iunxit. Hic vero Benedictus, patris nomine Franciscus in saeculo vocatus, humaniores litteras unum alterumve annum Bruntruti didicit. Anno autem domini 1718, 26 Novembris ab eius avunculo, huius nostri monasterii abbate Joanne Baptista, in s. ordinem receptus peractoque tyrocinio anno 1719 assignata die 26. Novembris ad s. admissus est professionem, mortuo jam diu antea illius parente. Paedagogum in novitiatu habuit r. p. Germanum Cartier. Primitias in ecclesia s. Landelini una cum rev. patre Bernardo Knöbel, eius comprofesso, die 7 Januarii 1725 celebravit; custodiam s. supellectilis quotannis habuit demandatam. Pluribus ac quasi continuis aegritudinibus laborans brevi gaudebat corporis valetudine. Religiosus alias erat pius, humilis verusque Israelita, in quo dolum vix reperire fuit. Munia sacerdotalia, saluti animarum inhians, summa subibat animi oblectatione ac hilaritate; in confessionibus excipiendis quoque frequentissimus fuerat; liberalis etiam ac beneficus extitit erga pauperes, quorum inopiam saepe erogatis cum licentia superiorum nummis sublevabat. Probavit itaque pater coelestis, utpote optinus nostrarum medicus animarum, suam his corporis afflictationibus famulum Benedictum, ut aurum in fornace igne afflictionum, gravium ac plurium infirmitatum, quas tamen, praesertim per totum ante obitum annum multipliciter auctas, patienter tolleravit, Eum in finem sacras quasdam preces et piis aspirationes ad deum, quinque Christi vulnera, beatissimam virginem Mariam aliosque sanctos, a se conscriptas saepius affectuose legit et animo ruminavit, dum potuit. Deficientibus autem viribus sibi eadem iterato legi voluit, frequenter etiam decumbens ecclesiasticis usus est sacramentis. Demum instante morte,

* Stöber hat a. a. D. p. 264. 65 öbige Biographie fast wörtlich mitgetheilt.

quam repetita animi deliquia haud longe abesse denuntiabant, omnibus ecclesiae sacramentis rite munitus et percepta ordinis nostri sacra absolutione generali ac utrarumque confraternitatum ss. rosarii et scapularis, in voluntatem dei plene resignatus die 3. Septembris quadrante post undecimam noctis mortem feliciter oppetiit. Sepultus est in ecclesia claustrali prope portam moderni ingressus illius, cuius sepulchri locus his characteribus: „r. p. B. E.“* fuit signatus, 1731. Tertius is est de novo nostro monasterio, sed primus ex infirmaria delatus ad tumulum.

R. p. Landelinus Mayer**, a honestis et catholicis parentibus natus in Klingnau, Helvetiae loco***, anno domini 1673 die 10 Januarii, ab abbate Mauro in sacrum ordinem susceptus et anno 1694 die 3 Maii, sub eodem professionem emisit. Sacerdotio autem fuit initiatus anno 1699, die 13 Junii, regnante adhuc abbate Mauro. Ad varia assumptus est officia, videlicet archimagyri, granarii et prioris, quae singula omni studio ac diligentia peregit. Artem callebat organizandi et cantandi. Munus confessarii conventus diu habuit; postremo subprior ab abbate Joanne Baptista denominatus choro frequens interfuit et cum calculo laboraret. Eodem morbo ingravescente morti occubuit, rite antea sacrosanctis ecclesiae sacramentis provisus. Sepultus fuit die 26 mensis Septembris anno 1741 in crypta. Est hic secundus in crypta positus.

R. p. Amandus Harstrick†. Natus in Sulgau, Sueviae loco, anno domini 1689, die 12 Junii. in s. baptismate nomen Antonii accepit. Puer dum adhuc esset, cum parentibus Friburgum Brisgoiae petiit, ubi parens illius, perillustris ac generosi domini liberi baronis de Rost, regiminis Anterioris Austriae Friburgensis supremi gubernatoris caesarei ac consilarii intimi etc. ope, varia in urbe assecutus fuerat officia. Eius

* Das heißt rev. pater Benedictus Eck. Auch in St. Maure hatte man die Sitze, auf die Grabplatten nur kurz das Datum des Todestages und Jahres, ohne Namen u. s. w. zu setzen.

** Stöber a. a. D. p. 267 gibt fast wörtlich dieselbe Biographie von Landelin Mayer. Nur fügt er noch bei, daß er vor seiner Profesz Antonius v. Padua geheissen habe. Auch bemerkt Stöber, daß L. Mayer in St. Landelin die Wunderheilungen aufgezeichnet habe.

*** Klingnau an der Aar, Canton Argau.

† S. 268. 69 gibt auch Stöber einen Lebensabriß des P. Amand Harstrick, welcher fast ganz aus diesem von Will entlehnt ist. Nur fügte er bei, daß Harstrick 1715 in Strassburg die Subdiaconats-, in Freiburg die Diaconats- und in Zabern die Priesterweihe erhalten habe. Die Diaconatsweihe ertheilte ihm der Suffragan-Bischof von Conspang.